

- "*Corpus* compresso-cylindricum, incurvatum, saltatorium. *Caput* globosum, utrinque inflatum, hemisphærio utroque oculum magnum sessilem mentiente.
- "*Antennæ* breves, scrobiculis profundis frontalibus implantatæ, superæ breviores, (sesquilineares) articulo basali et seta apicali subtriquetra, conflatæ, inferæ paullo longiores, bilineares, triarticulatæ.
- "*Mandibulæ* exiguæ, inæquales, argute dentatæ. Palpi mandibularum lateri externo inserti, quadriarticulati, in fossulam inter antennas inferiores reclinandi. *Segmenta* corporis primum, secundum, tertium quartumque, angusta (*Notetur terminos angustum et latum hic a dimensione singuli segmenti, minime autem a latitudine corporis esse intelligendos.*), sensim latiora utrinque in appendicem foliaceam articulatum producta, subtus pedes gerentia breves raptatorios, fe-inde [perinde] e primo pari sensim maiores, femoribus complanatis, manibus incrassatis subtus spinescentibus, pro recipiendo unguiculo valido, elongato. *Segmenta* quintum, sextum et septimum paullo latiora, lateribus vix appendiculatis, margine externo cum *pedibus* articulo iuncta elongatis, saltatoriis, postice complicandis, corpore incurvato pedes octo anticos inter se occultantibus. Horum femora complanata, margine postico foliaceo pro tegenda tibia reclinanda, tibie geniculo basali brevi, elongatæ, compressæ, antice spinescentes, postice glaberrimæ; tarsi graciles, subcylindrici, rigidi, margine antico spinescente tibiis applicandi, apice unguiculo minuto acutissimo instructi. Pedum par quintum omnium longissimum fere pollicare, tibiis quatuor et dimidiam lineas longis, sextum, septimum sensim breviora, postremo octo lineas longo.
- "*Segmenta* octavum, nonum et decimum, *caudalia* omnium latissima fere cylindrica subtus appendicibus ovigeris natatoriis, in singulo binis bifidis, articulo basali valido, conico, subtus unisulcato, lacinia terminali duplici, acuminata, subtriquetra, ciliata.
- "*Segmenta* undecimum duodecimumque, flabellum caudale efformantia, appendicibus utrinque tribus bifidis conflatum, quorum articuli basales elongati, compressi; lacinie terminales, in singulo binæ inæquales, altera longiore foliacea, altera breviora accessoria teretiuscula. *Color* flavescens lividus.
- "Affinis hæc species 1) *Onisco* *Cicadæ* *Oth. Fabricii* *¹ a quo tamen differt capitis pedumque forma, colore et magnitudine;
- "2) *Onisco* *Medusarum* *O. Fabricii*, cuius tamen oculi lineares, arcuati, coerulei, lateribus frontis innati, nimis discrepant. Cum hac utraque *Gammarus* *Libellula* peculiare genus constituat, in familie hujus descriptione monographica arctius definiendum.
- "Unicum hujus animalculi specimen die vicesimo nono mensis Junii anni præterlapse accepi vivum e mari prope insulam Ian Meyen protractum, plura autem mense insequente mortua in stomacho *Procellariæ* glacialis reperi, integra quidem et digestionem vix læsa, nisi quod pedum subtilissima pubes detrita esset.
- "Inter hæc juvenilia quoque, dimidiæ reliquorum magnitudinis, cæterum simillima illis.
- "II. *Gammarus* *Gryllus* N.
- "G. Corpore segmentis tredecim, pedibus quatuordecim, quorum par secundum longissimum, debile multiarticulatum, scutis lateralibus maximis pedes obtegentibus.
- "Longitudo tres pollices æquat (corporis duos et quadrantum, caudæ incurvatæ tres quadrantes poll.) circumferentia media duos pollices quadrantemque.
- "*Corpus* compressum, dorso fornicato, rectiusculum, cauda brevi incurvata.
- "*Caput* cylindricum quasi primum corporis segmentum, antice obtusum, antennis quatuor conicis, brevibus ?*² superis pedunculo triarticulato bifidis, inferis longioribus quadriarticulatis, articulo secundo seta parva, postremo cæteris longiore.

¹ "O. Fabricii *Fauna groenlandica*, pag. 257-258. Præter hunc reliqui auctores omnes (*Pallas*, *Müller*, *Stroem*, *Leach*) de simili specie tacent. Unicam ob oculos amplos insignem *Scoresby* (*Account of the arctic regions* pag. 54²) commemorat, cæterum sibi minus notam."

² "Antennæ in specimine nostro vix integræ, apice obtuso detrito."